


393

85

00:000000000000:000000000000:000000000000
00:000000000000:000000000000:000000000000

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis
quintâ Aprilis.



M. LUDOVICO MORIN, Doctore
Medico, Praeside.

An alimenti labes in ventriculo, à toto Corpore.

I.

CORPUS animatum multis constat partibus, diversisque humoribus irrigatur, quæ singula, quamvis suos habeant usus peculiares, propriasque destinata sint functiones exerci: omnium tamen finis est unus, nihil scilicet deficit ad totius tum integratam, tum conservationem necessarium. Totam machinam intus movent spiritus, quos aspiratus suppeditat aer, celi tenuitate & calore temperatus, & cordi transmittendus per pulmones, in quibus inest raritas ad ipsum hauriendum aptissima. Cor primum & ultimum vivens apud omnes audit merito, in eo primum cuditur spiritus fons vita, pars aeris tenuior, nobilissimam puraque aetheris portione turgens: quæ dum varios subit pulmonum anfractus, cum sanguine, è dextro cordis ventriculo, per pulmonum frequenter & contorta vasa in sinistrum fluente, miscetur: jugique tum ejusdem partis, tum cordis, sese dilatantium contrahentiumve motu, confunditur; sanguis deinde, èd concitatior factus, quod uberiori spiritu perfunditur, & à corde, dum se ipsum coarctat, vehementius per arterias in totum corpus pulsus, serpit occultè per partium fibras: hinc novo ejusdem sanguinis appulsi, in tenuiorum venarum ora, sub inde que in majores venas, contrario sed tardiori motu abigendus: per quas tandem, torpens ferè, ad cor remeat & pulmones: in quibus novo ditatus aëreæ, aetheræ, & vitalis aura accessu, quæ desperditos spiritus, in transitu per arterias, fibras partium, meandrosque venarum, restituat: sèpè sepiùs iterata compressione cordis, in arterias, ceterasve, quas jam divisus alluebat partes, rursus pellitur. Hos, ad ultimum usque vitæ terminum reciprocatos itus reditusve, circuitum sanguinis vocant ii, quibus ultimis hisce temporibus, singulari naturæ beneficio, concessum est, ut ipsam deprehenderent operantem. Norunt autem sanguinem necessitate coactum,

per arterias in omne corpus diffundi , minimè verò per venas , ex valvularum quarundam , ad cordis ventriculos , positione & situ: præstant enim sanguini facilem , à venis per cor & pulmones , in arterias transitum: Cum in animalibus , quæ hujuscē motū investigandi causā secantur à Medicis , omnem ipsi ab arteriis , per easdem partes , in venas reversionem precludant. Patet verò & ante omnium oculos positus est ejusdem sanguinis , ab extremis ad cor per venas redditus , ex venis inter vulnus & cor vinculo constringendis , dum sanguis mittitur.

I I.

MOTU vivimus , motu morimur. Qui spiritus sanguini & toti materia tribuunt , ut impetu moveantur interiori & suo , propriasque functiones edant jucundè: iudicem ipsi , agitatione innatâ & perenni , membra sensim ac pedetentim deterunt , dum ab ipsis , tenuissimas quidem , sed innumerabiles detrahunt particulas , quas deinceps fusas dissipant , & ab ipso corpore amendant , unâ cum alvi purgatione , urinâ , sudore , cutis expirationibus &c. Extremus igitur & ultimus vita dies à primo nusquam abscess longè , nisi procreator mundi Deus dum suâ providentiâ non solum universis , sed etiam singulis rebus consultuit , homini mortali & caduco , fruges & cætera alimenta concessisset , quorum divisorum & immutatorum appulsu , id quod de maximè cedenti & dissipabili naturâ diminutum est , sùm planè ex toto , maximâ saltem ex parte , resarciretur. Mirari licet quæ sit ab ipso fabricata instrumentorum supplex , quibus natura ad hunc finem adipiscendum accederet ; mirari licet quibus artibus panis , pisces , fructus : ossium , carnis , nervorum , membranarum formas induant. Hominem iccirco donavit summus ille rerum omnium Artifex ore , ventriculo , venis lacteis , haud parvis in membranâ qua lactes involvit receptaculis , ductu denique in thoracem extenso , quæ omnia vasa instrumentave elcas salivâ temperatas conficiunt , succum ex eis elicunt salutarem , Graci x̄x̄ vocant , variis liquoribus conflatum & in singulas corporis partes aptum transformari: quem deinde ad venas qua'dam in superiori ejusdem thoracis parte positas transferunt , unâ cum sanguine in cor declapsurum. Hac autem in officinâ spirituum , obscurus sanguinis è cavâ decidui rubor , ætherea auræ , eximioque chyli candori exquilitate mixtus in floridum mutatur : sanguis ipse , in præcedenti suo circuitu , gratissimâ sui parte nudatus , amicâ rursus ejusdem succi dulcedine temperatur , datur : quo cum , per arterias , magno impetu pulsus , quidquid in unâ quâ que totius corporis parte , de primitâ integritate deperditum est , copiosè restituat. Motu igitur sanguinis vehementer corpus attritum , sensim occultè perit : & ejusdem sanguinis suavissimum succum bajulantis , circuitu , à morte redimitur & vivit.

I I I.

QUAS de toto corpore tenuissimas particulas , nullâ interpositâ morta , decerpit sanguis , agitatus copiâ spirituum uberiori , nusquam contingit ut hæ omnes expellantur atque exturbentur è corpore : pars tantum simul cum inutilibus aut noxiis foras ejicitur : cæteræ omnes numero forsan minori , haud tamen exiguo , cum sanguine , qui eas nuper ad membrâ tamquam nutrices appulerat , rursus permistæ , per venas , cor , & exinde

3

novo lacteo succo comite , per arterias , eodem sanguinis motu feruntur , qui eas jam nunc de universâ machinâ delibavit . Hinc patet quâm diversis ex corpusculorum naturis conflatur hic liquor , qui ex arteriis in venas & ex venis in arterias transltione fluit perenni ; præter sibi proprias , corpuscula scilicet purpurea , bilem , pituitam , ex quibus præcipue constat , tenuiori fero dilutis : cum innumeris insuper miscetur , tam dissimilibus inter se , quâm ossa , nervi , membranæ , ventræ , arteria &c. à quibus avulsa sunt , inter se discrepant , inq̄d cum succis longe diversis , sâpè etiam contrariis , confunduntur : quos à cæteris humoribus , industria naturæ singulare , distrahit , segregat glandularum , in toto corpore frequentium , raritas quædam & assimilis spongiis mollitudo : quæ eoldem ipsos , aliquâ interpositâ morâ , vi glandulis ingenitâ mutatos , in vasculorum secretioni dicatorum ora fundit , in ventres deinde ad suos usus , aut extra corpus velut inutiles amandando . Ex hisce propemodium innumerabilibus particulis , quas secum continent & celeriter volvit sanguis , multæ & variae , ad varios usus destinatae , fine suo privarentur inertes : inutiles verò , quin etiam noxia tantâ vi , vel brevissimo temporis intervallo , coacervarentur , ut partes universas omnibus functionibus everterent : nisi summus rerum omnium Artifex , cuius nutu omnia flumina intrant in mare , & à mari ad locum unde excent revertuntur , ut iterum fluant : æquè in parvo mundo ac in majori sapient & beneficis , haud usquequa dissimiles in sanguine circuitus ordinasset , quibus tûm alimentum commodissime distribueretur , tûm ejusdem sanguinis serum , bilis utraque , quidquid incti acidi , particulae à singulis membris decidua &c. ut ad cæteras partes , sic ad renes , hepar , lienem , pancreas , glandulas , &c. semper & assidue deportarentur transformanda aut secernenda . Quæ igitur particularum transvectionis , eadem & sanguinis circuitus necessitas .

I V.

EX singulis membris in venas delapsæ particulae , licet cum longe plurimi corpusculorum , quin & succorum naturis exquisitè misceantur & confundantur , primigeniam tamen servant substantiam , ab ossibus membranis cartilagineibus , osseam membraneam cartilagineam &c. Earum copia , insignis quidem , per poros partium generationi dicatarum , secreta , tanquam per incernicula earum figuris accommodata , in liquorem vertitur , qui foemineo sinu exceptus , prima exhibet futuri hominis rudimenta ; particula enim ex quibus constat semen , juvantibus infito spiritu , & in nato parti calore , eo ad se invicem coagmentantur ordine , quem olim in corpore servaverant . Sed à sanguine quem ventriculi membranis subministrat arteriolarum ingens multitudo , earumdem particularum longe maior rem numerum fecerunt glandulae , quas in interiori & propriâ ventriculi membranâ , propè innumerabiles , diligentius investigantes agnoverunt saceruli posterioris Medici celeberrimi : & secretas in ejus capacitatem fundunt , virtute sibi ingenitâ ad novum opus aliquatenus præparatas : ibi assiduus fletis naturæ minister calor ventriculi , circumstantium partium viciniâ factus vegetior , has omnes particulas , proprio glandularum succo temperatas , denuò concoquit , immutat & catenùs perficit , quoad novum ex his omnibus , sed commune fermentum exurgat , liquor feminæ congener , mul-

4.

tis nominibus à recentioribus insignitus : alii dixeré acidum ventriculi, alii nescio cuius Archai præcipuam sedem : alii aliter. Hic liquor injectis jam in ore tritis alimentis permistus , ipsa penetrat , incidit , adeò ut intumescant , & quasi astu quodam effervescant. Dùm sic agitantur , pars eorum tentior , fermenti vi igneâ prægnans , à crassiori se Jungitur , xvi. à Græcis nuncupata , in tot & tām diversas naturas apta transformari , quot è semine matris sinu excepto gignuntur & coalescent. Hinc patet quanta sit inter semen & ventriculi fermentum affinitas ; & cum nutritio verè sit generatio quādam succedanea , necesse fuit eadem esse nutritionis quæ generationis principia.

V.

CUM chylus exurgat ex intimâ tenuioris alimentorum partis coniunctione , cum liquore à toto corpore deciduo , quem ventriculi fermentum nuncupant : cum pars ista purior tenuiorve , non à se ipsâ , sed ab hocce fermento habeat quod in tam varias dissimilesque naturas , auxiliarem vim subministrante calore nativo , transformari possit : cum denique fermentum ipsum , quidquid habet virium ac facultatum , partibus , à quibus decessit , referat acceptum : solis videtur luce clarius , non ex solâ alimentorum in ventriculum delapsorum naturâ investigandum est & astinuandū chyli temperamentum : sed & ex totius corporis valetudine , aut incorruptâ , aut infirmâ , atque etiam agra. Si ea congruant inter se è quibus confitamus , si integra corporis & firma constitutio : fermentum quod à bene finis partibus ortum nanciscitur , egregiam quandam , incredibilem & propè divinam vim impertiat succo , quo cum misceretur , necesse est : quā simul cum sanguine per arterias , in omne corpus diffusus , in cuiusque partis ad quam appellatur naturam , facili negotio transeat , illius abunde dispensare reparaturus ; si aliter , aut corpus universum , aut pars quādam , à natura temperamento recedat , vel graviori conficiatur agravidine : fermento ventriculi , hac labē infirmitatis & corruptionis asperlo : cādem tūm alimentorum tenuiorem partem , tūm ex iis coacervatum chylum , coinquinari necesse est & contaminari : partesque quā hujus succi accessione crescunt aut nutriuntur , haud parum de pristinâ integritate deperdere ; quam enim fermentum à partibus accepit intemperiem , eam penitus emendare nequit quā in ventriculo sit alimentorum præparatio : sicut nec semiinis , à patre lithiasi aut podagrâ laborante decidui , vitium , sanguis & uterus matris sanitatis licet integerimæ. Hinc , quos malè habet aut pulmonum ulcus putridum , aut in quapiam corporis parte struma , ii non modo liberos procreant tenuioris aut nullius valetudinis , & ad morbos eosdem proclives : sed & fermento ventriculi , alimentis , parti denique eorum puriori , eam inurunt labem quā unā cum chylo , circuitus sanguinis abusū , in partes universas transvecta , nil nisi tabem spurcasque strumas miserrimè spargit & disseminat.

Ergo alimenti labes in ventriculo , à toto Corpore.

Proponebat Parisiis JO ANNES GAILLARD , Nivernensis , Castro-
Censorius , Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.